



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

LXVI. Differentia 10. Difficultas jurantis, & majora negotia lure Canonico
excusant àreatu perjurii,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

LXVI.

DIFFERENTIA 10.

Difficultas jurantis, & majora negotia Iure Canonico excusant à reatu perjurii, c. B. Paulus 22. q. 2. c. Brevi, de jurejur. secus Iure civili, l. Continuus, §. Illud, ff. de verb. oblig. l. 2. C. de reb. creditis, & jurejur. Ioann. Bapt. à S. Blas. 57.

I. Tenor cit. c. B. Paulus hic est: Non ideo se fellisse credendus est Paulus Apostolus, aut sibi extitisse contrarius, quoniam, cum ad Hispanos se promissurum, dispositione divinâ majoribus occupatus ex causis implere non potuit, quod promissit. Quantum enim ipsius voluntatis interfuit, hoc pronunciat, quod revera voluisset efficere. Unde *Gloss.* colligit in v. *maioribus* secundum Canones excusari promissorem à juramenti impletione per majora negotia, ut c. *Brevi, de iurejur. Et c. Querelam.* In hoc necessitas, in illo difficultas subveniendi illi, cui juratum est, excusate perhibetur. Ratio generalis est, quia in omni promissione tacite quaedam conditiones insunt, sicuti *Abb. notat in c. Quemadmodum, de iuram.* quarum non postrema est, *Si posuero.* Quod si de toto verum est, omnino liberatur, qui promissit: si verò de parte tantum, ad reliquas tenetur, juxta *Regul. in 6. 37.* Utile non debet per inutile vitiari. *Dynus ibi. v. Silv. in v. Iuramentum, n. 2.* ubi plures conditiones numerat, quæ juramento promissorio inhaereant, & excusent, nomi-

natim exequendi difficultatem, ex c. *Brevi, de iurejur.* Idem cum aliis multis à se visis; & citatis *Farinac. tract. de faste. & simulatione, q. 160. Limitat. 10. n. 120. & 280.*

II. In contrarium Juris civilis dispositio tendit, l. *Continuus, §. Illud,* generaliter causa difficultatis ad incommodum promissoris, non ad impedimentum stipulatoris pertinet; ne incipiat dici, eum quoque dare non posse, qui alienum servum, quem dominus non vendat, dare promiserit. Sed occurrit statim, an non, qui fecit, quod potuit, excusatur? In plerisque fateamur necessesse est, ad eò ut ne moram quidem committere dicatur, qui officio suo functus est. Tunc ergo non admittitur excusatio, cum quis se facturum in omni eventu promissit, quemadmodum plurius exponit, *Decius in Reg. Impossibilium 144.*

* *